quentia, in foro, in choro, alijsq; locis nudos
cum vehementi pudore circumvagari, somniare suis.
Alij fatali succumbunt gladio, latronum mucronibus
petiti corruunt alij, alij hostium superati ma=
nibus aut fugiunt, aut sternuntur, alij furenti
oceano navigantes, naufragio facto, undis sorbe=
liuntur, alij in crucem mala agunt, flagellis
alij fustibusq; egregie excipiuntur. Nunc omnis
Aetna gravius incumbere, nunc fauces perstrin=
gi, nunc vasta in solitudine se inter feros, nunc
inter sicas et gladios, nunc in praerupta rupe, nunc
in praecelso eoq; angustissimo tramite se constitutos
plurimi cum angore, et pudore vivacissime imagi=
nantur. Alij alio quovis modo malo habentur
tractantur, agitantur. Quis igitur ex his omnibus
somni suavitatem satis agnoscere vult, aut potest?
magna profecto, et magna iucunditas, magna
suavitas ex his tristissimis, ex his amarissimis hau=
ritur. quid ita? sive enim sit somnium triste, sive
laetum, semper tamen est laetum. Quae enim evigilantis